Burcheri de Volder Oratio de rationis viribus, et usu in scientiis

Burchard de Volder

Digitized by Google

Digitized by Google

Illustrissimis, Nobilissimis Academiæ Lugduno-Batavæ

CURATORIBUS

D. JACOBO

BARONI DE WASSENAAR, Toparchæ Opdamii, Hensbroeck, Wochmeer, Spierdijck, Zuydwijk, Kerndem, Twikelo, Lage, &c. Hollandiæ Nobili; Equestris Batavorum Militiæ Præfecto, Urbis Willemstad, Clunder, Arciumque Vicinarum Gubernatori. Supremæ Aggerum Rhenolandiæ Præfecturæ Assessori, &c.

D. HUBERTO ROSENBOOM, Toparchæ in's Grevelsrecht, &c. Supremæ Hollandiæ Curiæ Præsidi, ad res Ecclesiasticas Ordinum Hollandiæ nomine delegato.

D. HENRICO DE BLEYSWIJCK, J. U. D. Summis, apud Delphenses honoribus functo, & cum maxime Delphensis Reip. Coss. Præsidi & Senatori, Societatis Indicæ Moderatori.

Digitized by Google

NEC NON

Ampliſſimis Reip. Leidenſis Conſulibus.

D. NICOLAO VANDE VELDE,

D. JOHANNI VAN BANCHEM,

D. CORNELIO WITTENS, J. C. ad Collegium, quod rei maritimæ Amſtelodami præeſt, delegato,

D. CONRADO RUYSCH, J. C.

UT ET

Conſultiſſimo Viro,

D. JOANNI VANDEN BERGH, J. C. Reip. Leydenſis Senatori & Judici, & Ill. Acad. Curatoribus a Secretis.

Orationem hanc Sacram facit

B. DE VOLDER.

Digitized by Google

B. DE VOLDER ORATIO.

INter ea, quæ in rerum Natura posſuit Divinum Numen, maximam omnium admirabilitatem facit Homo. Peſſime, meo quidem judicio, ille, qui Hominem dixit, id, quod omnes norunt. Verius dixiſſet Hominem, quod ignorant omnes. Etenim, quid ſit Humanum Corpus, quid Mens, ſi vel maxime nobis putaremus perſpecta, quod à rei veritate abeſt quam longiſſime, nemo tamen eſt, nemo, qui horum inter ſe nexum, in quo proprie Natura hominis conſiſtit, Mente ſua aſſequatur. Sunt enim duo hæc, Mens & Corpus, res toto genere diverſæ, & ita quidem diverſæ, ut, quod nullis aliis in rebus uſu venit, & qua major diſcrepantia ne cogitari quidem poteſt, nihil in unius conceptu contineatur, quod alterius notio non excludat. Quare, dum inter hæc nihil percipimus commune, Rationi omnis intercluſa via eſt, qua pro-

grediatur à Proprietatibus unius, ad Proprietates alterius, ſive à cogitatione ad motum, vel a motu ad cogitationem. Id unum novimus, non quidem ex ipſarum rerum Natura, quæ perfectiſſima demum ſcientia eſt, ſed experientiæ ſolius ope, ipſa nos hoc docente conſcientia, arctiſſimam, quæ inter hæc eſt, ſocietatem ea lege coiiſſe, ut corporearum mutationum nonnullæ, cum mutationibus cogitationum, & hæ viciſſim cum illis pari ambulent paſſu. Quæ ſi conſideremus attentius, minus mirabimur ex rebus tantopere inter ſe diſcrepantibus coalitum hominem, admodum diverſis, & ſecum invicem nonnunquam pugnantibus proprietatibus excellere. Enimvero, ſi in ea, quæ in humano genere contingunt, paululum introſpiciamus propius, animadvertemus protinus, maxima in nobis bona, cum maximis vitiis ita conſociari, ut illa ſi ſpectemus, nihil homine excelſius; his vero ſi attendamus, nihil eodem abjectius videatur excogitari poſſe. Etenim, ſi eam, quæ in Mente eſt, ratiocinandi facultatem, ingenii ſolertiam, voluntatis regimen contemplemur, nihil occurret, quod cum hisce mentis dotibus collatum non ſordeat: ſin vero perpendamus, quam parum hæc ipſa ratio, ſi non apud omnes, apud plurimos certe valeat; quam tardum

dum ad multa ſit ingenium ; & quam voluntas noſtra, cujus libertatem poteſtatemque tanta verborum magnificentia celebrare ſolemus, inefficax ſit contra vim affectuum, & quam frequenter ab hisce omnem ſibi eripi patiatur libertatem, & ad peſſima flagitia, ſcelerave perpetranda conſentiat; jam hac ipſa mente, nihil videbitur turpius, nihil flagitioſius. Quæ ubi cogito, vix me contineo, quin illis aſtipuler, qui ex ingenii caligine, rationis imbecillitate, argumenta ſumunt, quibus miſeram humani generis conditionem deplorent; & aſtipularer haud dubie, ſi non longius, quam oportet, progreſſi, veras mentis vires extenuarent nimium ; quaſi illa ad veri inveſtigationem, ad ſcientiarum adeptionem vix valeret quidpiam. Qua in parte, ut hos nimium rationi detrahere nullus dubito ; ſic admodum reformido, ne eidem plus æquo arrogent, qui ſoli ingenio, & ratiocinio noſtro, omnium propemodum artium, ſcientiarumque arcana vendicant; quaſi ea acies foret ingenii, ea vis ratiocinii, ut in omnem rerum naturam penetrare, & ex ea, quæ ab imperitis ſcilicet experiundo demum cognoſcuntur, ſuis ſolius viribus inveſtigare, & eruere poſſet.

Quare non abs re me facturum exiſtimavi, nec a diſciplina, quam profiteor, alienum, ſi, hoc

præſertim tempore, quo limitibus dominationum conſtitutis, illa diu multumque exoptata Pax tandem aliquando affulget Europæ; & hoc die, qui muneri huic annuo, admodum mihi gratos præſcribit limites, vires ratiocinii expendam; ad quæ illud plurimum valeat, ad quæ non niſi conjecturis ducatur, examinem; & quantum locus, tempuſque permittunt, limites Rationi, Ratione ipſa duce, definiam. Ea quippe eſt Rationis excellentia, ut nullos ſibi limites poni, niſi a ſemetipſa patiatur.

Mentis noſtræ propria hæc maxime Natura, atque vis eſt, ut, quid ſit, quid poſſit, non aliunde, quam ex ſe ſola addiſcat. Cogitationes ſiquidem primum & unicum principium ſunt, ex quo, tanquam ex fonte, omnis ſcaturit ſcientia, cujus capax eſt humanum genus. Quidquid præter eas in rerum Natura eſt ad noſtram de rebus notitiam nihil facit, niſi per notiones, quas in ſeſe Mens effingit. Has quippe ſolas per ſe ex intima, quæ de iis eſt, conſcientia novimus; reliqua omnia, harum ope. Veri itaque cognitio, non tam in rebus, quæ ſeſe habent, prout ſe habent, ſive ego de iis cogitem, ſive minus, quam in noſtris conſiſtit de rebus cogitationibus. Ex quibus clare perſpicimus, nihil aut ingenium, aut ratio-

ratiocinium posse, circa ea, quorum in sese intelligentiam mens invenit nullam. Unde cum omnes, quæ in nobis sunt ideæ, vel cogitationis sint, vel extensionis, paret, his duobus rerum generibus omnem scientiam nostram contineri; adeoque, qui ultra hæc duo, tertium quid in rebus ponunt, eos verbo ponere id, cujus nihil intelligunt: dein, cum id, quod ponunt, & cujus ideam non habent, oratione explanare studeant, hoc ipso delabi in verba nihil sensus significationisque habentia. Nec minus evidenter agnoscimus, si notiones quasdam in se inveniat Mens non satis explicatas, ex iis nulla nos formaturos unquam certa ratiocinia. Hæc enim cum consistant in applicatione veritatum per se evidentium, ad has illasve notiones, quid manifestius? quam si quid in his obscuri lateat, si quid non accurate perspectum sit, hoc vitium necessario se immiscere omnibus, quæ hisce notionibus fundantur, ratiociniis. Scientiæ mater, sola scientia est, non ignorantia; cogitatio, non cogitationis defectus. Nullæ igitur certæ emanabunt conclusiones, præterquam ex ideis evidentissime distinctissimeque perceptis. Quarum hoc præcipuum est, ut ex illis eædem profluant in cogitationibus sequelæ, quæ ex ipsis sequuntur rebus. Nam cum ideæ re-

bus, quarum ſunt ideæ, conveniant exactiſſime (non enim ex rebus ideæ, ſed ex ideis res definiendæ ſunt) inter quarumcunque rerum ideas idem conſequenter nexus erit, quem ipſæ inter ſe res habent. Quod attendenti ita perſpicuum eſt, nihil ut clarius percipi queat. Ex his itaque, & per has ideas omnis comparatur ſcientia. Hiſce ſuas vires, ſuam in ratiocinando efficaciam debet mens noſtra. Hæ ſolæ cauſæ ſunt effectrices, eæque neceſſariæ omnium conſecutionum, quas in ſeſe continent.

Ex his vero ideis, ſi qui ſint, qui tantopere corruptam perditamque Rationem noſtram cenſeant, ut verum invenire nequeat, hi, quantum a vero aberrent, ut alia taceam, ſoli abunde docebunt Mathematicorum filii. Geometræ enim, non verbis, non, ut Logici ſolent, regularum quarundam partim inutilium, partim falſarum præſcriptione, ſed ipſo opere innumeris in exemplis commonſtrabunt, eam eſſe ratiocinationis noſtræ præſtantiam, eam ingenii perſpicientiam, ut, modo notionibus rite perſpectis inhæreat, nec ultra eas divagetur, in rebus etiam difficillimis verum quam certiſſime invenire; plurima & a ſenſibus remotiſſima, & non niſi plurium argumentorum coacervatione cognoſcenda, quam evidentiſſime concludere; & aſſenſum vel pertinaciſ-

tinaciſſimo extorquere queat. Quos eo quidem lubentius in hanc rem teſtes produco, quoniam rerum ab ipſis oſtenſarum ea evidentia eſt, quam agnoſcere coguntur harum artium vel imperitiſſimi. Utinam illi, qui ſibi in eo placent, quod Mentis & Rationis vires infirment, in Geometricis hiſce experti eſſent primum, quidnam Ratio recte exculta vere poſſit, antequam de ejus viribus tam abjecte loquantur. Verum ita uſu venit, ut, qui ipſi vix ulla in ſe certa ratiocinia deprehendunt, id non tam ſuæ aut ignorantiæ, aut perverſæ inveſtigandi Methodo aſcribant, quam Naturæ, quam Rationi.

Has autem ideas, quas clare diſtincteque percipimus, aut nullas eſſe, aut oppido paucas, qui exiſtimat, excutiat, quæſo, interiores mentis ſuæ receſſus, & multiplicem inveniet idearum quam evidentiſſime perceptarum varietatem. Quid in ſeſe geratur, quas cogitationum formas, quas habeat generales rerum imagines, mens quam clariſſime diſtinctiſſimeque percipit, modo illis nihil admiſceat corporei, nihil, niſi cujus intime eſt conſcia. Quibus evidentia ne vel minimum cedunt ideæ extenſionis, magnitudinis, figurarum, motuum, omnium proprietatum corporalium, modo ab iis, quidquid eſt cogitationis, ſegregemus accuratiſſime.

Nec

Nec sensuum sunt hæ ideæ, utut plurimi sensibus omnia propemodum tribuere amant & ex iis quasi conflare mentem, sed intellectus. Quod vel ex eo conficitur, quia inter omnes ideas, nullæ ad certam scientiam minus valent, quam quæ propriæ sunt singulorum sensuum. Ex ideis caloris, frigoris, colorum, sonorum &c. nemo unquam evidens efformaverit ratiocinium. Hæ namque nihil nobis corporeum repræsentant, sed mentis affectionem simul cum motibus corporeis productam. Cujus ut sumus conscii, ita inter eam, utpote quæ mentis est, & corpus, nulla concipitur communitas, ex qua, qui hæc inter se cohæreant, ratione investigetur. Unica itaque veri certique materia in ideis est, non quatenus illæ a sensibus, sed quatenus ab intellectu proficiscuntur.

Quæ idearum evidentia, cum in duplici rerum tam cogitantium, quam extensarum genere versetur, nonne hinc merito concludam, certum ac evidens ratiocinium, duabus in disciplinis locum habere, Metaphysicis scilicet, Mathematicisque? Ita quidem apparet; si iis, quæ hactenus posui, congruentia loqui velim; verum nescio qui fiat, ut ipsa hujus conclusionis insolentia commotus hæsitem, & ne quid forte fallaciæ clanculum intervenerit, ambigam. Quid enim?

Hasce

Haſce ego diſciplinas, quarum altera certiſſima ut eſt, & merito ab omnibus celebratur, ita altera tantum non omnium audit incertiſſima, in hac ipſa certi laude conjungam? Metaphyſicam, in qua vix quidquam reperias, præter innumerabilium controverſiarum aliarum ex aliis abſque ullo exitu pullulantium farraginem, conferam cum Mathematicis; in quibus error nullus, aut ſi forte quis ſubrepſerit, continuo deprehenditur, & eliminatur; in quibus nullæ lites, aut ſi forte quæpiam ſuboriantur, quam promptiſſime, & quam certiſſime componuntur. Quibus equidem parum abeſt, quin a ſententia dimoverer, niſi ab altera parte ſuccurreret, diſciplinarum indolem, ex rerum, de quibus agunt, natura æſtimandam, non ex hominum vitio res ſæpenumero peſſime tractantium. De his autem diſciplinis, ſi juxta hanc normam judicetur, utriuſque eadem animadvertetur ratio. Utraque nititur non rebus externis, ſed ſolis, quas Mens in ſe habet, ideis. Utraque ideas ſpeculatur clare diſtincteque perceptas, & ſoli intellectui debitas. Utraque certiſſima habet ratiocinationis ſuæ fundamenta: ut enim ex explicatione vocum Totius & Partium per ſe liquet Totum eſſe parte majus; ita ex notione ſola cauſarum & effectuum conſtat, indiſſolubile inter hæc

duo esse vinculum; quæ veritas plurimas & maximi momenti alias suo sinu complectitur. Nec secus, ac ex Mathematicorum principiis infinita quam evidentissime sequuntur, ita ex suis Metaphysici quam certissime ostendunt innumera, & Mathematicorum quidem conclusionibus longe præstabiliora. Esse cogitationem infinitam; esse Divinum Numen, idque & a se, & æternum; Ejus nutu fieri & gubernari omnia, tam certo evincunt Metaphysici, quam trianguli, quam circuli proprietates Mathematici. Imo nonne ex his liquet Metaphysicos quadantenus Mathematicis præcellere? Nam quascunque hi corporum, figurarumque affectiones explanant, de illis, num in rerum universitate sint, nec ne, non laborant. Metaphysici vero hoc insuper præstant, ut res, quas tractant, veras, non mentis fictiones esse, patefaciant. Nec causa hujus dissimilitudinis in occulto est; cum figuræ, circa quas occupantur Mathematici, sive sint, sive non sint, eodem percipiantur ritu: Metaphysici vero indagent naturam vel mentis nostræ, quam esse, ipsa conscientia declarat; vel Divini Numinis, cujus solius ea est præstantia, ut exsistere Deum, quæ in nobis est de Natura ejus cogitatio, quam scientissime concludat.

Unde igitur, si hæc ita sint, tanta in Geometricis

Digitized by Google

tricis consensio? tanta vero in Metaphysicis disceptationum, concertationumque seges? Quam ad rem, ut rectam, qua Geometræ, perversam, qua Metaphysici usi sunt, ratiocinandi viam taceam: ut non adducam Geometras hæsisse circa ea, quæ vere perciperent; Metaphysicos a rebus particularibus avocasse, quantum pote, mentem, eamque applicuisse generalibus quibusdam cogitandi formulis, quas tanta subtilitate a rebus abstraxerunt, ut ipsam rerum Naturam amiserint: hæc ut prætermittam, sufficerit attulisse, ortam esse hanc sententiarum inter Metaphysicos discordiam, ex eo, quod plurima definierint, quorum argumenta non habebant in promtu; quod eam imbiberint opinionem, ac si nihil turpius foret, quam hæsitare, quam nihil determinare, quam ignorationem confiteri, quam denique id, quod semel pronunciatum foret, non pugnaciter defendere. Quæ agendi ratio simulac apud Geometras invaluerit, illico discidiis contentionibusque miscebuntur omnia. Quod si Metaphysici Geometras imitentur, asseverent, quæ penitus explorata habent, sileant de iis, quæ hactenus occulta sunt, hoc ipso eveniet, ut omnes, quæ nunc magnis hinc inde animis agitantur, controversiæ, aut quam certissime dirimantur, aut tanquam incertæ seponantur. Neque

vero ulla alia ex dissensionibus hisce emergendi supereſt via. Si quid enim, hoc certe docet Ratio, infinita esse, quæ ab humana mente finitis ex ideis conflata, comprehendi nequeant. Nam, ut in intellectu infinito, eo ipso, quod infinitus est, infinita continentur; sic in intellectu finito, tametsi omnem humanum intellectum longissime exsuperare ponatur, necessario desunt infinita. Quod si in ulla scientia, considerari certe meretur in Metaphysicis, in quibus inquiritur natura rei infinitæ; quæque idcirco infinita in se complectitur, ad quæ finito intellectui aditus est nullus. Quid itaque de hisce? Id scilicet, quod res ipsa jubet, cum ratiocinari sit, nexum, qui inter duas pluresve notiones est, vi ipsarum notionum patefacere, de his, in quibus ille nexus, aut non est, aut non apparet, Ratione certa edicente, silendum prorsus, & in hoc silentio aut acquiescendum esse, aut externum, si quod sit, cui fidamus, circumspiciendum auxilium. Fundamentum veri, vel est idearum inter se nexus; in quo recta viget ratio, aut potius ratio, nam quæ recta non est, adversaria rationi, non ratio est; vel aliud quidpiam a ratione secretum, disjunctumve. Quod tamen, ita tandem in Rationem recidunt omnia, fide dignum esse, & fallere nescium, ipsa necesse est,

ut

ut nos doceat Ratio. Unde enim ſciam, quodnam ſit aliud veri argumentum, niſi Mens id agnoverit, niſi ratio oſtenderit? omne autem id, cui tuto abſque ullo errandi periculo credimus, vel eſt ipſiſſima Ratio, vel auctor Rationis Deus; quorum illa certiſſimam ſui facit fidem, hunc vero ſumme veracem eſſe per illam quam firmiſſime evincitur. Quid enim certius oſtendit ratio? quam repugnare, ut veritas errorem, ut certiſſima ſcientia falſitatem involvat, ut infinitus intellectus producat id, quod intellectui maxime contrarium eſt. Quorum priora cum in Deo eſſe evidentiſſime ſuo ex ratiocinio agnoſcat Mens; poſteriora nec in Deum cadere, nec ex eo fluere non minori colligit evidentia. Quid ergo? Dependebitne ſummi Numinis auctoritas, a ratione, aut a ratiocinio noſtro? Imo vero. Dei quidem ſcientia, ut omnia divina, nullam aliam cauſam, aliam originem requirit præter ipſam Dei naturam. Illa, nullius rationis noſtræ indiga, ex ſe vera eſt, imo omnis veri, rationis, & certi ratiocinii unica cauſa. Verum longe aliud quid eſt, quidquid a Deo fluxit, quocunque profluxerit modo, verum eſſe; aliud, id pro vero a nobis agnoſci. Deus exſiſtit ex ſe, & ſua ex infinita perfectione, licet ex ſuo ratiocinio hoc

demum Mens concludat. Nec diſſimiliter, Deus verax, nullius erroris, fallaciæve cauſa ex ſe eſt, & ſua ex natura; verum hoc ipſum ex ſuis de Deo cogitationibus planum facere Mentis & Rationis opus eſt; cui hunc in finem certiſſima hujus ſuæ proprietatis indicia ita penitus infixit Deus O. M. ut in noſtra poteſtate non ſit, eam non agnoſcere, agnitam non revereri.

Quare, ut ad priora redeam, ſi idearum, quas in me reperio, nexus non appareat, ſive quod dependeat aliunde, ex ideis ſcilicet rerum, quas Mens non habet; ſive, licet ex iis, quas habeo, ſequatur, apparere tamen nequeat, niſi per eouſque continuatam argumentorum ſeriem, ut eam abſolvere Mentis non ſit humanæ; de iis definiendum erit nihil, ſi ut ratio, ita Divinum taceat teſtimonium. Hoc vero ſi loquatur, abſque omni dubitatione fidem illi habendam, nec de modo, quo ideæ inter ſe nectuntur, nec de conſequentibus, quæ ex iis fluunt, magnopere laborandum eſſe, quam diſertiſſime præcipit eadem ratio; certa utique, hoc quidquid eſt ratocinii humani objectum eſſe neutiquam. Neceſſe quidem eſt, ut concipiam, de quo aliquid dicatur, & quidnam de eo dicatur; quippe hæc ſi ignorem, nequidem enunciationi, quæ mihi nulla

nulla eſt, cum nihil ejus intelligam, fidem habere potero, ſed verba proferam, quibus vis ſubjecta erit nulla; quo ſane abſurdius nihil fingi poteſt. Ex ideis quidem, quæ inter ſe junguntur, ſi utraque evidentiſſime percipiatur, quod in hiſce oppido quam rariſſimum eſt, ſeorſim ut ratiocinemur, nihil impedit; verum ipſam junctionis rationem, incognitam licet, tanquam ratiocinii materiam adhibere, ejus demum eſt, qui ita deſipit, ut, quæ non percipiuntur, idoneum veri ratiocinii, quod totum in perceptione eſt, fundamentum exiſtimet. Quod ſi vero hæ ideæ concipiantur quidem, ſed, quod longe frequentiſſimum eſt, non ſatis clare, diſtincteque, quis erit, qui non perſpiciat rationi certæ in his locum non relinqui? Quod eo magis obtinebit illis in effatis, in quibus, tametſi Ratio repugnantiam non inveniat, invenit tamen quidpiam, quod non modo ex ideis ſuis percepiſſet nunquam, ſed quod poſtquam aliunde accepit, difficultatem nihilominus concipiendi ſecum conjunctam habet. In quibus omnibus, attendite, quæſo, prudentiſſimum certiſſimumque, quod ex his emanat, Rationis decretum, nimium ſapere & ultra divinum teſtimonium ratione noſtra vel tantillulum progredi velle, maxima revera inſipientia eſt. Quam utinam

nam rationis ſuæ moderationem adhibuiſſent illi, qui harum rerum contemplatione ducuntur. Stabilitos haberemus ſcientiarum, tam quæ ratione noſtra, quam quæ Deo teſte fundatur, terminos; nec hæc quidpiam ab illa metueret detrimenti; nec illa ſeſe immiſceret iis, quæ auctoritatis, ſed rationis non ſunt; nec in modos, quibus hæc ſe haberent, inquireret tanta cogitationum ſimul & ſubtilitate, & inanitate. Omnis equidem præſciſſa foret anſa innumeris diſcidiis, quæ huic vanæ hominum curioſitati debentur; qua factum eſt, ut Divina oracula, de quibus certa ratio nihil declarat, incertis ratiunculis; conjecturarum, ſuſpicionumque noſtrarum tenebris; aut potius meris cerebri humani figmentis illuminare voluerint; quæ profecto inſaniens admodum ſapientia eſt.

Non exſpectatis, opinor, Aud. ut hæc generatim a me allata particularius illuſtrem; ut digito quaſi demonſtrem, quæ his ex fontibus in utramque hanc diſciplinam redundarint mala; præterquam enim, quod longiorem hæc orationem requirerent, facile animadvertitis, gravem me habere cauſam, cur difficilem hunc locum evitem, & ea non attingam, quæ innocentiſſima licet in invidiam trahi poſſent ab iis, qui neſcio quod-

nam

nam in rationem, quæ ſoli Deo paret, regnum affectant; præſertim cum illa ipſa, de quibus mihi dicendum foret, ad rationis tribunal non pertinere, vel hoc ipſo ſermone meo evictum arbitrer.

Quapropter ad alterum propero cogitationum genus, quod in rebus eſt corporeis; in quarum, prout exiſtunt, cognitione rationi ſoli aſcribenda tantum fortaſſe peccatur, quantum in Metaphyſicis eidem abnegandis. Nam, præter hoc commune omnium de corporibus diſciplinarum vitium, quod abſque ſenſuum & experientiæ auxilio determinare nequeant; num quæ ratione vel exactiſſima concluſa ſunt, ulli in rerum natura corpori competant; multa alia ſunt, quæ in ſingulis harum ad certam deſunt ſcientiam. Quæ quidem omnia ſingulatim enumerare, nimiæ operæ cum res foret, age, excutiamus unam ex illis, eamque longe Principem, Artem ſcilicet Medicam, quam valere vigereque omnium noſtrum quam maxime intereſt. Hujus namque ad exemplum de reliquis conjecturam facere arduum non erit. Hanc autem multi ex primis rerum Phyſicarum elementis hauriendam contendunt, eoſque demum veros Medicos agnoſcunt, qui ex Phyſices penetralibus cauſas Morborum ratione inveſtigare, iiſque cognitis remedia dein apta

adhibere norunt ingenioſe. Imo hac cauſarum notitia ſeſe ab Empiricis diſtinguunt, nec dubitant, quin ulterius promota rerum Phyſicarum ſcientia, incrementum pro rata parte acceptura ſit ars Medica. Quæ eo quidem veriſimiliora videntur, quo verius eſt, humanum corpus cum cæteris univerſi partibus apte cohærens, iiſdem ex principiis conflari, iiſdemque, quibus omnia, legibus obſequi; adeoque omnibus numeris abſolutam de eo ſcientiam cum Phyſices primordiis, non interrupto cauſarum & argumentorum ordine ad corpus uſque noſtrum, connectendam. Quæ ut nequaquam inficior, ita vereor non parum, ne qui ita ratiocinantur, nimium magnifice de noſtra ſcientia ſentiant. Quoſcunque enim Phyſica recentiorum maxime induſtria hoc tempore fecerit progreſſus, tam parum ea provecta eſt hactenus, ut ex illius inventis ad corporis noſtri effecta perpetuam argumentationem deducere qui tentant, multis partibus & abſurdius & arrogantius facere nec injuria videantur; ac faceret ille, qui perlectis communibus Euclidis notionibus hoc ſolo inſtructum ſe putaret abunde, ad Archimedeas inde perficiendas concluſiones. Neque enim dubitare eſt, quin quæ ab Archimede ſolertiſſime demonſtrata ſunt cum Euclideis illis infinite conjungantur propius,

pius, quam quæ de rebus naturalibus cognita habemus cum corporis noſtri affectionibus. Enimvero Medicam artem ex cauſis Phyſicis haud inventam vel id arguit, quod eam acceperimus ab illis, qui de morborum cauſis, aut nullas, aut, quod pejus eſt, ineptas admodum fovebant opiniones. Etenim, ſi Medicorum ante hoc ſeculum de cauſis eorum, quæ corpori noſtro accidunt, decreta perluſtres, nihil in illis audias de Sanguinis circuitu, qui noſtrarum tamen affectionum præcipuus promus condus eſt; nihil de mechanica corporum in ſe invicem actione, cui tamen proculdubio debentur omnia; ſed pro veris cauſis nobis obtrudi intelligas *Qualitates occultas*, *Calidum innatum*, *Humidum Primigenium*, *Facultates*, *Sympathias*, & id genus ſexcenta vocabula nihil omnino ſenſus habentia. Quæ ut hoc ſolo nomine merito exploſa ſunt, ita qui ea revocare ſtudent, ut ſc. antiquitatem revereri videantur, & neſcio quæ magni momenti ſub illis latere ad artem Medicam facientia prædicant, næ magno conatu magnas nugas agunt. Cui enim uſui erunt hæ voces? Valebuntne ad cauſarum explicationem, an ad effectuum? De cauſis, harum vel acerrimi propugnatores ne dicere quidem auſint. Effecta vero, cum in ſenſus cadant, nonne uſitatis & popularibus vocibus clarius

rius multo explicari queunt ? An vero medendi rationem explanant ? quaſi vero illa, ubi cognita eſt, abſtruſis hiſce vocibus indigeat, aut ubi incognita eſt, hæ voces ſua obſcuritate aliquid faciant ad intelligentiam vel morbi vel remedii. Nec video cui rei inſerviant, niſi forte, ut vulgo, quod quæ non intelligit, ſtulte admirari ſolet, videamur ſcire, quæ neſcimus. Verum quidquid ſit de uſu harum vocum, conſtat eam artem, quæ & inventa & propagata eſt ab hominibus, tam abſona de Corpore noſtro opinantibus, aut nullam eſſe, aut ſi quæ ſit, illam horum opinionibus non niti. Eritne quæſo ? poſt ea quæ hac ætate noſtra detecta ſunt omnem ſuperiorum de cauſis doctrinam evertentia, eritne ullus mortalium, qui ſibi perſuadeat antiquos, qui ſanguine Venas, ſpiritu arterias replebant ; qui ſanguinem aut ſtagnantem, aut hinc inde ultro citroque motum fingebant ; hoc falſiſſimo, & omnem humani corporis fabricam deſtruente fundamento, ſuam fundaſſe Medicinam? Nemo equidem, niſi qui ſimul ſibi ſtolide perſuaſerit, ex ineptiſſima hac hypotheſi eadem ſecutura, quæ ex vera. Qua tamen in omni opinionum de cauſis rerum & varietate & repugnantia, cum eadem manſerit medendi ratio, quid hoc aliud clamat ? quam Medicinæ non per rationem, ſed per ex-

experientiam excultæ, poſtmodum Medicos, ut plus ſapere viderentur, ſua quoſlibet commenta, quæ ratiocinia vocabant, accommodaſſe.

Verum quid in his hæreo? Illi ipſi, qui quammaxime ſuis argumentationibus fidunt, quam parum illis efficiatur, declarant; cum in generalibus hærent, ad particularia deſcendunt nunquam; ad determinati effectus explicationem, non, ut oportebat, confugiunt ad determinatam cauſam; ſed ad generalia quæpiam; ad certam nimirum partium diſpoſitionem, certam pororum figuram, certam materiam ætheream, nunc naturalem, nunc peregrinam. Quæ cum ita dicantur, nec particulatim explicetur, quænam illa ſit partium diſpoſitio, pororum figura, ætheris motus, nonne in eaſdem ſalebras incidunt, quas in aliis & jure optimo ſalſe derident? Quid enim, obſecro, eſt, quo hæc explicandi ratio ab occultis differt qualitatibus? Hoc ſi ſit, cauſas rerum invenire, nulla res erit, cujus cauſam explicare nequeam. Nam quid promtius? quam circulatorum more, qui unicum, quod norunt, medicamentum ad omnes morbos commendant; ad omnem, quæ in cauſarum indagine occurrit, difficultatem, uti hac uniſali Panacæa; Fieri hunc, de quo agitur, effectum, per particulas certo modo diſpoſitas, quæ

ab æthere certo moveantur ritu; ſive, ut apertius loquar, fieri hunc effectum, per incognitæ nobis figuræ & magnitudinis corpuſcula, quæ ab eo, quem neſcimus, æthere incognito nobis moveantur modo. Quæ profecto admodum bella abdita explicandi ratio eſt.

Sed ne nimium in his morer, præſtabit primaria hujus cauſæ capita invadere, quibus everſis reliqua ſponte corruent. Ratiocinia ſiquidem, quorum hactenus uſus fuit, duobus præcipuis nituntur cauſarum fontibus; Fermento ſcilicet, & pororum in aliis ac aliis partibus alia, certa tamen & determinata figura; quorum alterum nihil explanare, alterum falſiſſimum eſſe, ſi evicero, nemo, opinor, erit, qui Mechanicam Philoſophandi rationem eo uſque provectam dixerit, ut rei medicæ ſatisfaciat.

Etenim Fermentum generale admodum nomen eſt, aut nihil cauſæ explanans; aut nihil aliud, quam ope externi cujuſpiam, quod corporibus admiſcetur, partes, vel a ſe invicem ſecerni, vel laxius commiſceri. Quod ſi omnem hanc corporum mutationem Fermentum appellent, ſciant, ſe nobis effectum obtrudere, non cauſam. Sin vero aliquid particulare per vocem Fermenti denotent, hoc quid ſit, qua ratione agat, ut definiant

opus

opus erit, ſi cavere velint, ne ad occultam Fermenti qualitatem confugere videantur.

Quod autem in determinata pororum Figura, tanquam primaria ſecretionum cauſa ſibi applaudunt, id quam frivolum ſit oſtendit Clariſſ. ante paucos annos hac in Acad. Profeſſor *Pitcarnius*. Etenim, ſi fluidi ſpecie ſecernantur humores, quis unquam ſibi perſuaſerit fluidum, quod facile quibuslibet ſe meatibus accommodat, determinatam pororum exigere figuram? Nemo ita delirat, ut de figura canalis, per quem aqua fluxura eſt, vel hilum ſollicitus ſit. Sin vero exiſtiment ſolidi forma corpuſcula tranſire per poros ſuæ figuræ & magnitudini adaptatos, jam egregii hi Mechanici, hoc prudentiſſimæ ſcilicet Naturæ in ſecretionibus faciundis artificium aſcripſerint, quod unico in caſu ſi ſuccedere forte fortuna queat, infinitis in aliis ut fallat omnino neceſſum eſt. Qualemcunque enim hanc pororum figuram effinxerint, exigitur profecto, ut diametro tranſituro corpori reſpondeant. Nam ſi minores ſint, tranſitus denegatur manifeſtiſſime. Si majores, patebunt & aliis majoribus, nec in minoribus ulla requiretur figura. Sin vero diameter corporis reſpondeat diametro pori, habent id, quod volunt, hæc ſola tranſitura, excludi vero omnia ejuſdem magnitudinis,

ſed

ſed alterius figuræ corpuſcula. Verum hæc ut permeent, non tantum exigitur, ut ſint ſimilis figuræ, verum inſuper, ut ſimiliter ponantur; quod ultimum non niſi unico in ſitu locum habet ex innumerabilibus diverſis corporum poſitionibus. Quod ut notiſſimum eſt vel leviter in Geometricis exercitato, ita vel ignariſſimo facili experimento patefiet. Orificium faciat triangulare, & triangulum aut triangulare priſma illi exacte reſpondens; Animadvertet, ut hoc per orificium illud tranſeat, hunc præciſe requiri ſitum, quo apex apici, baſis baſi conveniat accuratiſſime, quemcunque alium ſitum habuerit, fruſtra expectari tranſitum. Quæ cum ita ſe habeant, cogitemus ſanguinis partes liquorum inſtar variis inter ſe motibus agitari, a motu cordis quaquaverſum propelli, a vaſis majoribus ad minora meando, infinitas in ſitu mutationes pati; & ſimul, ſi poſſimus, imaginemur nobis, hæc nihilominus corpuſcula, ubi ad vaſa perventum eſt, in quibus ſecretio fieri debet, non obſtante omni hac motuum, & quæ inde oritur ſitus varietate, neſcio qua naturali inclinatione, aut magnetica potius vi ita diſponi, ut ſuo ſitu poris exactiſſime congruant. Quod ut ab omni Mechanica ratione alieniſſimum eſt, imo artificium exigit hoc ſecretionis artificio multo operoſius, ita abſ-

abſque hoc ſi ſit, omnis pororum hæcce machina ad ſecernendi officium perierit.

Nulluſne ergo in Medicina facienda ratiocinio erit locus? Imo vero quammaxime, ſed non illi, quod nititur primis rerum cognitis elementis; nec illi, quod ad ſui evidentiam requirit inſenſilium partium, ex quibus membra corporis noſtri conſtant, notitiam. Inter hæc enim & Phyſices principia hiatus eſt ratione noſtra inexplebilis. Alia ergo utendum erit Methodo, quæ ſepoſitis hiſce incognitis, ex iis, quæ novimus, concludit. Hanc ad rem perſpiciamus, quanam via inſiſtant Geometræ, quos unicos habemus certi inveniendi magiſtros, ubi circa res Phyſicas occupantur, inquiſituri, num & illa Medicis inſerviat. Quod eo propono confidentius, quia Mathematicorum more Rem Medicam novo exemplo tractare jam cœperunt illuſtres omnium ſuffragiis Viri *Borellus*, *Bellinus*. Quorum libros a tam paucis etiam inter eos, qui Mechanicam Philoſophiam ſectantur, Medicis evolvi, & a paucioribus intelligi, dolendum eſt ſummopere. Invaluit ſiquidem apud eorum nonnullos ſtulta, ne quid gravius dicam, opinio, ac ſi artes Mathematicæ, ſine quibus nemo horum ſcripta intellexerit, ad hæc ſtudia plus noxæ conferrent, quam

emolumenti. Quasi accurata omnium, quæ ad rem faciunt, consideratio; diligens in conclusionibus formandis circumspectio; ipsius denique Rationis rectus usus, (hæc enim sunt quibus præ cæteris eminent hæ artes) Rei Medicæ officerent potius, quam prodessent. Rem ipsam si putemus, confitendum erit, aut nullum ad hæc ratiocinium valere, aut valere Mathematicum. Assumam meo jure, omnia rerum corporearum eventa, adeoque, omnes corporis nostri affectiones secundum legum Mechanicarum normam peragi. Quod qui negat dignum non arbitror, cui refutando operam insumam. Qui ergo aperiant Mechanicam corporis constructionem absque peritia rerum Mathematicarum? sine quibus Mechanicæ leges intelligi nequeunt. Ostenderunt magna hujus seculi nostri lumina *Hugenius*, *Newtonus*, *Leibnitzius*, ne simplicium quidem corporum motus, viresque investigandas unquam, non dicam absque notitia Matheseos, sed addam absque recondita harum artium scientia. Qua qui instructus non est, in Physicis hospes ut sit, necessum est. Tanta igitur cum inter has disciplinas sit affinitas, eo meliori jure inquiremus, num eadem Methodo tractari queant. Litigant inter se Physici, & si non alia, quam quæ hactenus ex perversa Physices absque Mathematicis

tra-

tractatione obtinuit, adhibeatur Methodus, æternum litigabunt, de vera gravitatis causa. Quod tamen non obstitit, quo minus hac causa insuper habita; ex cognitis per experientiam gravitatis effectis Mechanici plurima quam solertissime adinvenerint, & usibus applicuerint humanis. Quod gravitatis specimen, eo quod simplici & perspicuo effecto innotescat, ad corporis nostri infinitæ varietatis structuram ne quis forte minus recte assimilari putet, ejusdem hujus Methodi efficaciam lustremus in Astronomicis; in quibus corpora tractantur, quæ & a nobis & sensibus nostris remotissima sunt, & magna motuum admodum intricatorum varietate implexa apparent; quæ tamen, neglectis inutilibus Physicorum de hisce disputationibus, ex observationibus & ratiociniis suis ita illustrarunt Astronomi; ut non modo ad multos etiam annos stellarum positum, Solis Lunæque Eclipses prædixerint; verum & quamplurima & longe utilissima ad Geographiam, Chronologiam, artem Nauticam facientia patefecerint. Quod si non absimili ratione in corporis nostri nobis comparanda scientia processerimus, nonne hæc exempla spem faciunt? fore aliquando, ut tametsi ad absolutam corporis humani notitiam deventuri simus nunquam, hanc tamen eousque perficiamus; ut multa

emolumenti. Quasi accurata omnium, quæ ad rem faciunt, consideratio; diligens in conclusionibus formandis circumspectio, ipsius denique Rationis rectus usus, (hæc enim sunt quibus præ cæteris eminent hæ artes) Rei Medicæ officerent potius, quam prodessent. Rem ipsam si putemus, confitendum erit, aut nullum ad hæc ratiocinium valere, aut valere Mathematicum. Assumam meo jure, omnia rerum corporearum eventa, adeoque, omnes corporis nostri affectiones secundum legum Mechanicarum normam peragi. Quod qui negat dignum non arbitror, cui refutando operam insumam. Qui ergo aperiant Mechanicam corporis constructionem absque peritia rerum Mathematicarum? sine quibus Mechanicæ leges intelligi nequeunt. Ostenderunt magna hujus seculi nostri lumina *Hugenius*, *Newtonus*, *Leibnitzius*, ne simplicium quidem corporum motus, viresque investigandas unquam, non dicam absque notitia Matheseos, sed addam absque recondita harum artium scientia. Qua qui instructus non est, in Physicis hospes ut sit, necesse est. Tanta igitur cum inter has disciplinas sit affinitas, eo meliori jure inquiremus, num eadem Methodo tractari queant. Litigant inter se Physici, & si non alia, quam quæ hactenus ex perversa Physices absque Mathematicis tra-

tractatione obtinuit, adhibeatur Methodus, æternum litigabunt, de vera gravitatis causa. Quod tamen non obstitit, quo minus hac causa insuper habita, ex cognitis per experientiam gravitatis effectis Mechanici plurima quam solertissime adinvenerint, & usibus applicuerint humanis. Quod gravitatis specimen, eo quod simplici & perspicuo effecto innotescat, ad corporis nostri infinitæ varietatis structuram ne quis forte minus recte assimilari putet, ejusdem hujus Methodi efficaciam lustremus in Astronomicis; in quibus corpora tractantur, quæ & a nobis & sensibus nostris remotissima sunt, & magna motuum admodum intricatorum varietate implexa apparent; quæ tamen, neglectis inutilibus Physicorum de hisce disputationibus, ex observationibus & ratiociniis suis ita illustrarunt Astronomi; ut non modo ad multos etiam annos stellarum positum, Solis Lunæque Eclipses prædixerint; verum & quamplurima & longe utilissima ad Geographiam, Chronologiam, artem Nauticam facientia patefecerint. Quod si non absimili ratione in corporis nostri nobis comparanda scientia processerimus, nonne hæc exempla spem faciunt? fore aliquando, ut tametsi ad absolutam corporis humani notitiam deventuri simus nunquam; hanc tamen eousque perficiamus, ut multa

inde haurire liceat valetudini noſtræ haud parum profutura.

Hanc autem viam ſi ingredi velimus, ſicut quæ de triangulo, circulo, cæteriſque figuris, quæ de quantitatum inter ſe rationibus demonſtrarunt Geometræ, ſuis ſive gravitatis, ſive aſtrorum motibus applicant cum Mechanici, tum Aſtronomi; ita & noſtram ad cauſam, & hæc aſſumenda erunt, & inſuper generalia principia, quæ corporum vel miſtorum ſecretionem, vel ſecretorum miſturam ſpectant; quæ liquorum ex vaſis majoribus in minora, & ex minoribus in majora fluentium motum, ejuſque varia variis in partibus momenta determinant; nec hoc ſolum in tubis duris & inflexilibus, ſed præcipue in illis, qui, quacunque hoc fiat de cauſa, ſeſe contrahendi dilatandique pollent efficacia; quæ definiunt, quid ad hoſce motus vel promovendos, vel impediendos retardandoſve faciat liquorum tenuitas vel craſſitudo, fluor vel viſciditas; quid reſiſtentiæ exhibeant tubulorum & orificiorum anguſtiæ; & quæ id genus plura partim in Phyſicis, partim in Mechanicis docentur, & ea docentur lege, ut nullum peculiarem liquorem reſpiciant, ſed omnibus applicari queant. Dein, ut alterum Mechanicorum principium in gra-

vita-

vitatis effectu, Aſtronomorum in animadverſis corporum cœleſtium motibus conſiſtit; ita & accurate obſervata corporis noſtri, ejuſque partium eventa, alterum dabunt argumentationibus noſtris fundamentum. Hinc ante omnia utilis erit Anatomia, non tam ea, quàm vulgò profitentur, quæ, licet ei ſuam utilitatem denegare minime velim, tamen dum partes ſolummodo ſolidas, eaſque flaccidas & torpentes rimatur, ad hunc ſcopum noſtrum, quod pace Anatomicorum dixerim, nimium craſſa eſt; quam quæ Mechanica, quæ Geometrica eſt; quæ non figuram modo, ſitumve, ſed, quod præcipuum eſt, motum partium cum continentium, tum contentarum explanat. Quæ poſterior corporis noſtri inſpectio, quantum priore & dignitate & uſu præſtet, liquido apparebit, ſi quis ea, quæ de muſculis, quæ de bile, ejuſque ductibus & motu paſſim Anatomici, comparaverit cum iis, quæ de iiſdem Geometrico more induſtrius oſtendit Borellus. Quam jejuna, quam ad corporis fabricam interius cognoſcendam infructuoſa præ hiſce ſunt illa! Ex qua collatione ſimul innoteſcet, quam inaniter ſua inventa jactitent Anatomici, quam abſque ratione ſuperbiant, ſi forte fortuna non ante cognitam vaſis divaricationem, membranæ divulſionem, fibrillarum ſitum detexe-

rint; quam inepte de hiſce, tanquam ſi pro aris & focis certamen foret, acerbiſſime inter ſe digladientur; quaſi valetudinis noſtræ ſalus poſita eſſet in hiſce minutiis, quæ ut plurimum ad œconomiam animalem vel nihil omnino, vel parum faciunt admodum; dum iidem illi, fluida corpora, quæ maximam partem bonam vel malam valetudinem præſtant, ac ſi nullius momenti forent, negligunt, nec in Mechanica motuum, qui in illis ſunt, ratione exploranda elaborant. Sed quid hæc commemoro? Nonne vel ſolus ſanguinis circuitus, cujus ea eſt neceſſitas, ut eo non cognito nihil omnino corporis explicari; ea evidentia, ut tantum non ex qualibet actione ejus cognoſci queat, irrefragabili argumento eſt, quam parum hæc ſolidarum partium Anatome efficiat? Huic enim, licet per tot ſecula plurimum operæ impenderint viri, in quorum ingenio, induſtria, diligentia nihil deſideres; nunquam tamen omni ſua cura, labore, vigilantia, in lucem protrahere potuerunt hunc, quem dixi, ſanguinis motum tam facilem, tam promptum, ut ex fluidorum obvio examine numero quamclariſſime innotuerit illuſtri Harvæo. Ea ergo experimenta Anatomica & ſummo quidem cum judicio facienda ſunt, ex quibus patefiant corporis noſtri non mortui membra, ſed vivi actiones, qui

qui fiant, quæ partium operatione, quo fluidorum motu perficiantur. Quibus si ultimo accedat historia corporis affecti, quæ morbos, quibus obnoxii sumus, eorumque singula symptomata, variasque periodos singulatim describat, in numerato habebimus, ut cum Geometris loquar, Data, ex quibus de causis porro ratiocinemur.

Huic denique ædificio ut fastigium imponatur, non secus ac Astronomi Hypotheses effinxerunt, quibus jam cognitos astrorum explicarent motus, rudes in principio, quas dein novis ex observationibus sensim emendando tandem perficerent; ita & nobis necesse erit Hypothesin excogitare, quæ structuræ partium, motui liquorum, efficaciæ spirituum sensili conveniens causas in se contineat Mechanicas, ex quibus, quæ fieri per experientiam novimus, sequantur. Quod cum in fabrica totius corporis nimiam habiturum sit difficultatem, præstabit seorsim in singulis ejus operationibus tentare, modo caveamus, ne quid in una Hypothesi assumatur, quod alteri repugnet. Nec expectandum erit, eam, quæ ita primo nobis in mentem venit, rei satisfacturam; sed, ut in omnibus fieri solet, ea novis experimentis & rationibus limanda & perpolienda erit. Inquirendum scilicet porro, num, quæ ex ea sequuntur, experientiæ congruant, & num

eadem

eadem paucis hinc inde pro re nata additis, demtisve, omnibus id genus in corpore operationibus adaptari queat. Quod si minus succedat, immutanda erit, donec tandem invenerimus Hypothesin, quæ in omnibus cum iis, quæ fiunt, consentiat. Quo ubi perventum est, ea tanquam regula uti licebit, secundum quam de actionibus læsis fiat judicium. Hisce enim in primariis, si non in omnibus, quæ ad vitam faciunt, operationibus rite perspectis, minus arduum erit colligere, quid futurum sit, si sanguinis motus vel vehementior fiat, vel languidior; si partes ejus firmius solito, vel laxius cohæreant, adeoque parcius vel copiosius secernantur; ut ex hisce & hisce similibus causis Morborum quoque eruamus symptomata.

Facile intelligitis, Aud. quam latus hic sese aperiat dicendi campus, si singula hæc, quæ summatim percurro, persequi, & quis eorum usus futurus sit, enarrare velim. Verum brevitati ut consulam tempus jubet. Sufficiat itaque generatim annotasse, non tam ex singularum partium in minimis & insensilibus structura, quam ex sensilibus earum qualitatibus Mechanice ratiocinandum esse, ut & recte se habentium, & læsarum actionum inveniamus causas. Quod si succedat, præter voluptа-

luptatem, quæ ex hac aucta cognitione noſtra ſecutura eſt, & id lucrabimur, ut rem perceptam memoriæ mandemus facilius, &, quod multo majoris momenti eſt, noſtra hæc ratiocinia infinitæ caſuum varietati applicemus felicius. Denique, quod longe maximum eſt, ut arte & conſilio quædam in remediis mutemus, quod alias aut temere fiet, aut non niſi caſui & fortunæ debebitur. Qua tamen in re quam cautiſſime ut progrediamur oportet, non abſque graviſſimis cauſis in efficacibus remediis quidquam immutando experientia nondum comprobatum, & in levibus protinus ſubſiſtendo, ſi eadem refragetur vel minimum. Hæc enim, in hac rerum hactenus caligine, unica cynoſura eſt, ad quam eorum, quæ ratione concluſa ſunt, veritatem tuto expendat Medicus; quam ſi negligat, & ex ſuo hiſce in rebus nunquam certo ratiocinio, Medicinam facere ſi velit, ille profecto magno ſuo cum dedecore, &, quod multis partibus pejus eſt, ægri periculo artem exercebit ſuam.

Quæ tandem omnia huc redeunt denique; In Metaphyſicis, Mathematicisque, quæ ſolas ideas, eaſque clare & diſtincte perceptas tractant certa demum vigere ratiocinia. In hiſce imperium obtinere & dominari Rationem. In Phyſicis vero, utut

ex Hypotheſi quam certiſſime concludamus, incertum tamen relinqui, eane, quæ in ratiocinio aſſumſimus corpora, revera ſint, an minus. Quod eo incertius eſt, quo ad corpora accedimus minus ſimplicia. Quare in rebus Medicis, quæ circa corpus omnium maxime compoſitum occupantur, non ex inſenſilium partium conſtitutione, quæ, ut ignoratur hactenus, ſic, niſi me animus fallit, æternum ignorabitur, ratiocinandum eſſe; ſed ex iis, quæ experientia & ſenſibus de illis parent, non ſecus ac ſua ratiocinia iis, quæ per ſenſus comperta habemus, maximo humani generis bono applicuerunt Geometræ. Non inficior opus hoc longe fore difficillimum, intricatiſſimumque, ſed ideone prorſus abjiciendum erit? Potuit hæc Methodus Geometrica Opticæ, quæ Oculum, partem corporis noſtri & nobilem, & admirabili artificio conſtructam contemplatur, potuit Architecturæ, potuit rei Nauticæ, & quibus non artificiis Mechanicis applicari, & eo quidem cum fructu, ut inde innumerabilia in nos redundarint commoda, & dubitabimus periculum facere, quid eadem in arte Medica efficere valeamus? Non perveniemus quidem ad exactam totius fabricæ corporeæ intelligentiam, verum hoc nulla in arte contingit, nec ideo tamen ſpernenda quis dixerit ea, quæ in illis

hoc